

Iustiniani Imperatoris Institutionum Libri Quattuor
Accesserunt ex Digestis, Tituli de Verbroum Significatione, & de
diversis Regulis Iuris Antiqui.
Lugduni apud P. De Ville. M DCC LIV

Instit., Lib. I, Tit. I

Iustitia est constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.

§1. Iuris prudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia,
iusti atque iniusti scientia.

Instit., Lib. I, Tit. I, §3.

Iuris praecepta sunt haec: honeste vivere, alterum non laedere,
suum cuique tribuere.

Instit., Lib. I, Tit. II

Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Nam ius istud
non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quae in coelo,
quae in terra, quae in mari nascuntur. Hinc descendit maris atque
faminae coniunctio, quam nos matrimonium appellamus: hinc liberorum
procreatio, hinc educatio. Videmus etenim caetera quoque animalia
istius iuris peritia censerit.

§1. Ius autem civile a iure gentium distinguitur: quod omnes
populi, qui legibus et moribus reguntur, partim suo proprio, partim
communi omnium hominum iure utuntur. Nam quod quisque populus
ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium civitatis est, vocaturque
ius civile, quasi ius proprium ipsius civitatis. Quod vero
naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes
peraeque custoditur, vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes
gentes utantur.

§3. Constat autem ius nostrum, quo utimur, aut scripto aut sine
scripto;....

Scriptum autem ius est lex, plebiscitum, senatusconsultum,
principum placita, magistratum edicta, responsa prudentum.

§4. Lex est, quod Populus Romanus senatorio magistratu interrogante
(veluti consule) constituebat. Plebiscitum est quod plebs plebeio
magistratu interrogante (veluti tribuno) constituebat.

§5. Senatusconsultum est, quod Senatus iubet, atque constituit.
Nam cum auctus esset Populus Romanus in eum modum, ut difficile
esset in unum eum convocari legis faciendae causa, aequum visum
est, Senatum vice populi consuli.

§6. Sed et quod Principi placuit legis habet vigorem: quum lege
regia, quae de eius imperio lata est, populus ei et in eum omne
imperium suum et potestatem concedat.

§9. Sine scripto ius venit, quod usus approbavit. Nam diuturni
mores consensu utentium comprobati, legem imitantur.

§11. Sed naturalia quidem iura, quae apud omnes gentes peraeque
observantur, divina quadam providentia constituta, semper firma
atque immutabilia permanent: ea vero, quae ipsa sibi quaeque
civitas constituit, saepe mutari solent vel tacito consensu
populi vel alia postea lege lata.